



[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



1675

1^a 2^b Beckmann, Joh. Volk: De avocatione causarum.

2 Sept. 1675 - 1748.

2. Beckmann, Joh. Volk: De potestate legis in principem.

3. Beckmann, Joh. Volk: De mentione debitoris

4. Beckmann, Joh. Volk: De jure operarum.

5. Beierus, Rosarius: De erudititate.

6. Buelge, Johannes Christoph: De sortilegio

7. Falckner, Joh. Christophorus: De remissione loca-
vii ad sterilitatem aliosque fortuitos casus.

8. 9. Falckner, Joh. Christophorus: De purgatione

morae.

10^a 2^b Falckner, Johannes Christophorus: De omissione.

2 Sept. 1675 - 1738.

11. Georgi, Johannes Fridricus: De gratitudine.

12. Homfeld, Petrus: De rebus directis.

1675

13. Homfeldt, Petrus: Necessitas exlex.
14. Tesse, Matthias: De mitigatione paenarum.
15. Muscens, Johannes: Ita conjugium primarum
epi constitutione salua, inter plures, quam duas
esse possit?
16. Ruelle, Johannes Jojias: De iniquitatis accusata
jurisprudentia
17. Sagstarius, Caspar: De nudipedibus veterum.
18. Sagstarius, Caspar: De historia Lusatica
19. Scharschmid, Conradus: Exercitatio ad novellas
Justinianicas

n.
m
s
s
h
h
o



13098



J. C. XIII. 12

Q. V. B.
D. O. M.

44. 21

EXERCITATIO X. *1675, 19*

Ad

NOVELLAS JU- STINIANEAS,

Quam

Indultu Incluti Jctorum Or-
dinis

PRÆSIDE

DN. CAROLO *Scharf* Schmid /

J. U. Ddo.

Eruditorum ventilationi

submitte

GEORG. HENRIC. Brückner /
Erfurtensis.

Ad d. Jul. M. DC LXV.

JENÆ,
Literis Mullerianis.

H. H. R. von J. J. in Goga.





Corollaria Moralia.

I.

Principia hæc: Honestè vivere, Neminem lædere, suum cuique tribuere non sunt principia prima quoad naturam benè tamen quoad nos.

II.

Non dantur peccata Omisfionis sed omnia peccata sunt Commisfionis.

III.

Non datur habitus naturalis.

IV.

Voluntas malè dicitur cogi posse quoad actus imperatos benè tamen quoad imperabiles.

V.

~~Unum~~ ^{propre} saltem, accurate loquendo, est Principium actionis humanæ, non plura.

VI.

Adeoque præter cætera omnium absurdissimè spontaneum ac invitum adducuntur.

VII.

Conscientia tamen, Voluntas ac Consultatio necessariò prærequiruntur.

— Hum.

IIX.

Summum Bonum Philosophicum est Glorificatio Dei.

IX.

Regula actionum moraliter bonarum non semper est Conscientia recta.

X.

Non datur virtutum tam Moralium quam Intellectualium universalis conceptus.

XI.

Malè distinguitur ignorantia in Universalium & Particularium.

XII.

Ignorantia rei alicujus causa dicitur improprie sed per accidens.

XIII.

Posito polygamiam neq; juri Naturali (de quo nullum est dubium) neque juri Divino (de quo probabilis utrinq; disputatio) neque juri Ecclesiastico esse prohibitam, non tamen proinde mariti vi suæ promissionis hodiè alias adsciscere sibi poterunt.

IVX.

Retorsio injuriarum, quocunque demum colore tegatur, nullo modo est licita.

XV.

Justissimè Princeps vi Dominii eminentis ratione bonorum subditi in usucapione certum tempus statuere potest.

Pri-

XVI.

Primogenitus in gubernatione imperii ceteros fratres utut prudentiores ex hypothese status legalis excludit justissimè hi illum ex hypothese status naturalis,

XVII.

Majestas commodè dividi potest non quidem ut Genus in species, vel ut species in individua sed ut totum potestativum in partes potestativas,

XVIII.

Duplex est subjectum Majestatis Commune unum, proprium alterum.

XIX.

Illud permanens, hoc non item.

XX.

Quæ forma in imperio nostro Aristocratico-Monarchè mixto prævaleat disquiritur? distinguendum mihi divideretur inter negotia Comititalia & extra Comititalia, quoad illa par utrobique conditio, quoad hæc Monarchiæ potior.





EXERCITATIO X.
COLLATIO TERTIA.
NOVELL. CONSTIT.
XLIX.

*De his qui ingrediuntur ad Appellationem: Et
quando per scripturam manus propria fiat
collatio literarum, & de jureiurando
dilationis. Et ut conjungatur jure-
jurando Calumnia.*

Th. 1.



Cripta & hæc Johanni P. P. Constitutio, tractans
primò de Appellationibus, quarum ille plures in
sacro audiebat Consistorio, cum Quæstore S. Pal.
v. dict. ad Nov. XX. Illud rerum humanarum volu-
bile Legibus tumultum excitans, & huic materi-
am, præsertim in Appellationibus, præbuit. præf. pr. h. Novell.
quam CELSITUDO d. Præfecti per edicta, v. Briffon. For-
mul. 1. sepe cit. publicam dare jubetur, Epilog. ubi subscript. conf.
Panciroi. Not. J. Or. c. 5.

Inscript:

Præfatio:

CAP. I.

*Ut imminente biennii fine appellationis
causa pertractetur.*

II. **U**ltimum Appellationis fatale ejus prosecutionem, coram
superiori, Legitimam urget, quo lapsò appellantis negli-
gentia,

E e

gentia,

gentiâ, causa non finita, utut ex parte ibi cœpta, redit ad priorē, appellatione peremptâ. *L. 2. in fin L. ult. §. 4. in fin. C. de tempor. Appellat. Gail. 1. Obs. 141. n. 1. 2. Tholosan. de Appellat. 6. c. 10. n. 1. 2.* Illud autem est annus, vel si impedimentum inexorabile à Judice vel alio casu intervenerit, biennium. *d. L. ult. §. 4. C. de tempor. Appellat. pref. h. N. §. 1. Estq̄ Civile, non Saxonie. tempus cum additamento. v. tn. Carpz. 1. Const. 20. Def. 11. Hillig. Donell. 28. c. 8 lit. h. currens à tempore interpositæ appellationis, ut volunt communiter, Trentl. v. 2. Diff. 33. th. ult. lit. K. ibi Bachov. Gail. d. l. & obs. n. 1. Carpz. d. C. Def. 10. Dn. Struv. S. C. Ex. L. th. 14. Grav. ad d. Obs. Gail. quamvis videatur juri convenientior, cursus à die introductionis. v. §. 1. h. Nov. pref. verb. annum. & c. appellationem offerenti L. ult. §. 4. C. d. t. verb. apud Appellationis Judicem introductus & c. ubi ex toto contextu patescit, annum currere à tempore, quo quis appellationis liti dedit exordium, cognitionaliter altera parte presente & c. quæ omninò fiunt, non interposita statim, sed introducta appellatione. d. l. Dissentunt Interpretes.*

III. In Electorali Saxon. Appellation. Tribunali tempus prosequendi, est proxime sequens terminus, ab introducta appellatione, modo legale supersit citato spatium. *Elect. Ord. App. tit. von Appellation. Resol. Gravam. Part. von Justiz sachen §. 28.* quod & in Curis Provincial. obtinere videtur. *d. §. Resol. nec in Camera Spirens. illud fatale adeo attenditur. Gail. d. obs. n. 7. & alias ejus communiter concedunt prorogationem, Judicis & partium consensu. Gail. d. obs. n. 6. Hillig. in Don. d. l. & c. lit. n. licet & pro circumstantiarū ratione restringatur. c. 5. extr. de Appellat. c. 41. c. 2. q. 6. ibiq̄, Benedict de S. Geminian. v. Tholosan. d. l.*

IV. Illud vero fatale interdum prætermittunt partes, tempus ultra biennium impedimentis protrahendo; quod corrigit Justinianus sequenti moderamine: ut appellatus s. victor prioris instantiæ, biennio ad mensem usq̄ lapsō, coram Judice superiori s. in Appellationis Judicio contumaciam absentis accuset, productis juris sui allegationibus, petens desertæ appellationis sententiam & causæ decisionem; quam Judex ex ipsa rei veritate det pro eō, qui meliori jure nititur, utut ille defertor

sertor fuerit, *c. 1. pr. N. conf. L. 13. § 4. C. de Judic.* ut tamen absens præfenti, licet hic victus fuerit in causa, appellationis solvat expensas, *contra §. 6. L. 13. C. de Jud. v. cap. 1. pr. h. Nov.* Quæ pariter ita procedunt ubi appellatus fuerit contumax. *arg. d. §. fin* uterque absentiam ultra biennium extrahit, prior firma manet sententia, *in fin. pr. h. c. 1. Hodie*, præsertim in foro Saxon. Si appellans contumax, ad accusationem contumaciæ, termino præfixo iusta non probet impedimenta, aut si iterum absit, causa remittitur ad iudicem primæ instantiæ, appellatione, iteratâ per præsentem appellatum accusatione, pro deserta, ipso vero appellante in expensas declarato *v. El. Saxon Ord. Appel, tit. wie wieder die aussenbleibende. Coler. 1. Decis. 104.* Appellatus autem si fuerit absens, ad instantiam appellantis, primo citatur, ut respondeat, subnexa comminandi clausula, daß in verbleibender einlassung / auff die Justificirte Appellation hauptsächlich erkennet werden soll: *d. O. El. 1. cui si non obtemperat, in termino pronunciat in causa. conf. Carpz. 1. c. 19. Def. 31. seq 3. Resp. 1. 12. 122. ubi de expensis* Utroque tamen absente, vel alterutro præfente, absentis contumaciam minus arguente, plerumque prorogatur terminus, ab appellante petendus. *v. Carpz. d. l. conf. & Ord. Camer. 3. tit. 44. ubi de contumacia in Cameral. Appellation.* ut hic multum possit stylus Curix, quo & ultra biennium tempus justificandi ex certis causis currit. *confer. Dn. Richt. ad Auth. Ei qui C. de tempor. Appellat.*

V. Sinuosa & immortalis Appellationum deductio, nec isti, nec expensis pollicetur terminum; *contra L. 13. pr. C. de Judic.* Unde Legislator fatale præscripsit biennium, intra quod decurrat illud litigium, absentis dictatis expensis, in pœnam, non tamen sub amissione iustæ causæ, quam Lex cuivis hic incolumem præstat, non autem absentis terminum *pr. c. 1. h. Nov. de Appellat. v.*

dict. ad N. 23.

Ec 2

CAP.

Ut ex solis documentis publicè celebratis comparationes fiant, exceptis privatis, quibus adversarius pro se utitur.

VI. **T**Am primæ conventionis, quàm Appellationis causas nonnunquam documenta probant, nisi is neget sua, contra quem producuntur: Quippe in iudiciò producta documenta vel recognoscit, contra quem probatio dirigitur, vel jurato diffitetur, nisi sint publica. *v. Decis. El. Sax. 74.* aut producens suspectam diffessionem non admissurus, per testes, juratos tamen, *v. O. Proc. Elect. Sax. tit. 25.* vel per literarum comparisonem documenta velit probare; de qua *h. l.* Est autem literarum comparatio, *ἢ σύγκρισις τῶν πτυχιδίων*, ubi negantis documentum, ex simili ejus scripturâ, comprobo: olim quidem indistinctè, sed non sine fraudis procedebat periculo, dum alterius manum quis callidè imitatus producebat scripturam, comparisonem petens; hinc *L. 20. C. de fid. instrum. conf. pr. h. c.* cautum illa ne fiat, nisi ex scripturâ à tribus testibus subscripta, quorum duo ad minimum recognoscant manum suam, aut convincantur, si negent, pari scripturâ *d. l. 20.* Pariter procedit, si fiat ex instrumentis forensibus, *d. l. 20.* vel publici archivi *§. 2. h. c. 2.* præstito tamen à comparante juramento calumniæ. *d. l. 20. §. 2. h. l. ubi Gothofr. lit. l. legit præstando, quod & probat Haloandr. Græc. Edit. p. 61. & Latin Vers. Nov. p. 151.*

VII. Quod si quis producat ejusdem manus, quam negavit in altero, pro se scripturam, quæ quidem trium subscriptionem non habeat, habilis tamen ad comparisonem dicitur. *§. 1. h. 2. c.* utpote justè non arguo scripturam, ab adversario contra me retortam, cujus ante probaveram pro me ipso fidem. *d. §. 1. conf. Perez. ad t. C. de fid. Instr. n. 22.* Est autem aliàs hæc Comparatio remedium, ubi deficiunt alia, testes & juramentum. *conf. C. ristian. Decis. Belgic. Vol. 3. D. 29.* unde si testis

statoris defuncti, cui vel non subscripserint, vel mortui fuerint testes, ab herede negetur scriptura, ex simili ejusdem manu poterit institui comparatio; secus si Tabellionis manus contra quendam producat, ipse tamen jurato diffiteatur scripturam, comparatio, nisi corruptus videatur Tabellio, difficulter admittitur. *conf. Stephan. ad h. N. 5.* Necessum enim est, ut prius constet de Notarii manu, ad quam fieri debet comparatio. *v. Hercul. Marefcott. Var. Resol. 1. c. 79.* Maxima igitur hic judicis cautio, ne decipiatur picturâ.

IIIX. Hinc quærent, an producens instrumentum, possit per Judicem postulare, ut qui neget illud, de præsentis scripturam aliquam, comparationis specie, faciat? Non facile prudens judex id admiserit; si quidem alter manum simulare possit, cui producta dispar scriptura, nisi alia plane desint subsidia; hinc si per testes probare non liceat, nec admittenda videatur jurata diffessio, tum dixerim illud permiffum, ut tamen scriptor nec præcipitanter nimis nec suspento scribat calamo; nam utrinque fraus esse poterit. *conf. Stephan. b. l. n. 9. 10.* Facta tamen rite comparatio plene probat, si omnimodo literarum deprehenditur similitudo; semiplene saltem, ubi quædam dissimilitudo aderit, quamvis pro judicis arbitrio & scripturæ discrepantia, vel nihil posteriori casu probatum dixerim. *conf. Hercul. Marefcott. d. 1. c. 80. Resol.* Pœna vero negantis & comparatione convicti, est pecuniaria, viginti quatuor solidorum, *L. 16. C. de fid. Instr. & jactura exceptionis non numeratæ pecuniæ, si per Tabellionem vel testes fuerit convictus d. l.* quæ hodie magis arbitraria, imminuta negantis existimatione. Illa tamen comparatio necessaria non est, si quis planè recognoscere nolit, nec jurato, producentis desiderio, diffiteri; tum enim in pœnam contumaciæ habentur documenta pro recognitionis. *conf. El. Ord. Proc. tit. 25. §. und weil auch Carpz. 1. Const. 17. Def. 13.*

IX. Minus ancipiti lites decurrunt tramite, si rebus sur- Ratio & a constat veritas, repressis mendaciis, quibus Jura nimis infesta. *Authent. contra qui C. Non numerat. pecun. §. ult. Inst. De Obligation, que quasi. ex contract.* inde ne quis facile prorumpat ad ea

neganda, quæ manu sua scripsit, hic ob ex ponitur, per similem
ejus scripturam, quæ tamen fidem suo modo mereatur, ne
ambigui ab incerto petatur probatio. *h. c. 2.*

CAP: III-

*De juramento presentis hypothesis cum ju-
ramento calumnia jungendo.*

X. Juramentum calumnia, ὄρκιον καὶ οὐνοφωτίας, & in Atticâ quon-
dam Republ, solitum, *v. Vibbon. Emm. descript. Republ. At-
hen. p. 65.* temere litigantes coercet. *§. 1. Instit. de poen. temer. litig.*
dum actor, se non calumniandi animo litem movere; reus ve-
rò, se bona causâ contradicere, jurat *v. L. 1. C. de jurejur. propt.*
Calumn. c. 3. h. N. dicitur alias in Camerâ juramentum Dando-
rum & Respondendorum, sub exhibitione positionum, *Gail. 1.*
Obs. 19 n. 10. sed vid. Recess. J. de Añ. 154. §. diesen nechst. præstari
solitum, v. Ord. Cam. 1. t. 25. d. R. Imp. §. über dieses verb. daß sie
eine gerechte sache zu haben glauben. Estque opinionis s. creduli-
tatis, non veritatis; unde causam amittens non statim perju-
rus, d. §. 1. arg. c. 3. h. l. add. Perez. d. t. n. 2.

XI. Distinguitur in Generale & Speciale. Illud in li-
tis exordio, velut in causâ complexu; hoc singulis judicii par-
tibus exactum. *v. L. 14. §. 1. C. de Jud. c. 3. h. l. Berlich. conclus. 1.*
n. 2. Præstatur in omnibus causis, civiles an criminales, si ta-
men in his sit accusator, v. L. 14. §. 4. C. de judic. c. 1. extr. de Ju-
ram Cal. seculares an spirituales sint, c. 1 §. ult. h. t. in 6to non
obstat, c. 2. xtr. h. t. in prima & secunda instantia c. 2. h. t. 6to
ab omnibus regulariter Litigantibus, nisi dentur excepti; ut
Patronus in causa liberti, Parentes, L. 7. π de obseq. par. & c. non
obstat L. 34. §. 4 ff. de Jurejurand. Episcopi & Clerici v. L. 25. C.
de Episcop. & Cler. aliud de moribus. Carpz. 1. Decis 37. & alii de
quibus vid. Berlich d. Conclus. Carpz. Process. t. 1. art. 1. add. 2. F.
23. ubi de Vasall. & Domin. vel per se aut Procuratorem specialem
vel Syndicum in causa universitatis; diversum in foro Saxoni-
co, v. Constit. Elect. 1. Const. 13. ibiq. Carpzov. Def. 4. Frequenter
autem

NOVELL. CONSTIT. L.

autem juramentum calumniæ speciale, maxime ἱερὸν ἀναβολῆς non dolosæ dilationis, partes, sola injuriæ causa, ut dicitur *h. c. 3. pr.* invicem exigebant in singulis probandi actibus, hinc Justinianus *h. l.* statuit, ut in posterum speciale illud calumniæ juramentum ad singula judicii momenta cesset, simul & semel cum generali præstandum. *§. 1. h. c. 3. unde Authent. hoc Sacram. C. h. t.* Secus de jure Canon. *c. 2. h. t. in 6to.* Hodiè generale alicubi obtinet & speciale; hoc tamen tantum, non illud in foro Saxonico, si defertur à parte juramentum, aut quoties malitiæ insurgit præsumtio, *v. Ord. Process. Saxon. t. 33. Decis. Elect. 70.* modo non ex affectu Judicis veniat *d. Decis. Ratio datur in h. th. v. supr.*

NOVELL. CONSTIT.
L.

Constitutio ad Bonum Questorem Exercitus, ordinat Appellationes à quinque Provinciis Caria & Cypro & Cycladibus Insulis, & Mysia & Scythia, apud quem oporteat eas examinari.

XII. Hanc Novell. Haloandr. loco XLI. præmisit L. vel potius XLIX. hic desiderans: Nec ea quam Gothofred. fecit XLI. videtur perfecta; hinc *d. l.* præsentis dispositio anticipata *v. dict. ad Nov. 41.* quæ hic repetere minus conveniens. aliter *Stephan. h. l.*

NOVELL. CONSTIT. LI.

Scenicas, non solum si fidejussores præstent, sed etiam si jusjurandum dent, sine periculo discedere.

XIII. Sub.

- Inscript.** XIII. **S**ublimitas P. P. O. hujus Novell. meruit inscriptionem: Rubricam verò aliter *Haloandr. Vers. Latin: Nov. p. 160. aliter Julian. Const. 45. aliter Index Regim. legit. conf. Gothofr. h. lit. g. Fraus & callida Legis circumventio præsentis Nov. occasio.*
- Præfatio,** *præf. h. l. quam CELSITUDINIS appellatione v. Pancirol. Not. Imp. Or. c. 5 d. Præfect. præceptionibus v. Briffon. Formul. p. 320.*
- Epilog:** manifestam reddat. *Epilog. ubi subscript.*

CAP. unic.

sine inscriptione.

- Jus.** XIV. **S**cena theatri portio, in quâ Comicus, Tragicus aut Satyricus sistitur actus; hinc est vel Comica, Satyrica aut Tragica. *v. Cel. Rhodigin. Lect. Antiq. 8. c. 8. L. 2. §. 5. de his. qui notant infam. ubi Labeonis definitio. In eam prodiens de Jure infamis. L. 1. π. d. t. Secus prodeundi consilium. l. 3. π. d. t. Nec masculi saltim, sed & fæminæ ibi se præsentabant, sponte sua vel obligatione fidejussoriâ v. pr. h. Nov. cujus infirmavit vinculum Justinianus, ut ad frugem redire liberè possent. L. 14:33 C. de Episcop. Aud. L. 29. de Dupt. sed contra hanc legem, castitatis studiosam, crudelis, ut ait Legislator, inventa calumnia, juratoria Scenicarum obligatio, de hoc vitæ genere nunquam relinqvendô. præf. h. Nov. verb: comperimus crudelem quandam & importabilem calumniam contra studendam à nobis fieri castitatem. Quia enim nos fidejussores accipere prohibuimus, invenisse illos aliam viam ad impietatem deducentem majorem; jusjurandum enim eas exigere: quia nunquam ab impiâ illa & turpi operatione cessabunt.*

XV. Quod maximè impium Justiniano visum, ac si quis juratò promiserit homicidium, adulterium, vel simile d. *præfat. conf. L. 7. §. 16. L. 27. §. 4. d. de Pact. unde mulieri, sine perjurii periculo, ab hoc juramentò, castitatis desiderio, recedere permittit, decem auri libris ab eo, qui exegit juramentum, mulieri, Præfidis autoritate, solvendis, c. unic. h. Nov. pr.* Quod si autem Præses negligens, aut ipse juramenti exactor fuerit

fuerit, cum pari pœnâ deponatur, obligatis quoque ejus heredibus. *pr. §. i. c. un. b. l. verb. quia si neglexerit, tenebitur ab ea, deponens administrationem, heredesque ejus & successores & ejus substantia, eò quòd actionem piam agere neglexerit. conf. dict. ad Nov. 14.*

XVI. Princeps justè relaxat, vel vi legis. *b. Nov. 51. non nunquam juramentum, quod vel vitio extortum, vel scelere implendum. v. c. 2. 4. 6. 9. XXII. hinc justa juramenti relaxatio, si puella stuprata, vel judex jurasset, stuprum aliudve crimen non vindicandum. Pariter ubi quis læsus à Magistratu, juratò asserit, de non vindicanda injuria; unde venit relaxatio juramenti ad agendi effectum, quod regulariter Imperatoris Reservatum, quamvis & Camera exerceat, Statusque in territoriis. v. Ord. Cam. 2. t. 24. Gail. I. Obs. 25. n. 3. 4.*

XVII. Spectat hæc potestas ad jus superioris in Republ. ex utroque foro participans, hinc communiter Princeps, præsertim Protestantes Imperii, illud ut Reservatum, adhibito Jctorum consilio, *v. C. El. 36. P. 2. in Senatu Ecclesiastico, alibi in Consistoriis, vel in propriis Auditoriis exercent. v. d. C. El. Berlich. 2. Concl. 44. Reink. R. S. & E. 3. Cl. 1. c. 10. licet Catholici hoc Pontifici vindicent & Episcopis. c. 13. X. de Judic. c. 34. xtr. de Elect. & Elect. potestat.*

XIX. In malis promissis rescinde fidem; impia, quæ Ratio & scelere impletur, est promissio. *c. 5. q. 4. XXII. Juramentum enim fundam. religiosum fidei vinculum, quatenus maligne haut inducitur; alias enim divini numinis calumnia, & citra perjurium à superiori rescinditur; hinc nostræ Legis ratio.*

NOVELL. CONSTIT. LII.

Ut non fiant pignorationes pro aliis personis. Et ut sicut Principum Donationes non egent gestis monumentorum, sic nec à privatis, Imperatoribus factæ, donationes indigeant.

FF

Scripta

Inscript. XIX. **S**cripta eidem P. P. hæc Novell. cui LL. Rubrica non tamen eadem. Diverfa, plenior tamen, in Græc. Edit. v. Haloandr Græc. p. 63. diverfa in Latin. b. l. v. Vers. Latin. Nov. ap. præfatio. Haloandr .p. 162. conf. Gotofr. b. lit. e. Major Pignorationum quam Legum efficacia hanc potissimum eliciebat Constitutio-
Inscript, nem. præf. 5. Nov. quam d. Præfect. EXCELLENTIÆ honore præceptis manifestam fabere jubet. Epilog. ubi subscript.

CAP. I.

De Pignoratione.

Jus. XX. **P**ignoratio est actus, quo res vel persona obligata, aut alia, privata vel publica capitur authoritate: Hinc illa Solonis ἀνδρολεψία contra civitatem, quæ homicidam fugitivum non restituit agnatis petentibus. v. Stephan. b. N. n. 1. Hinc & pignoratio animalis depalcens, jure civili quidem vetita, non consuetudine. Dn. Thomæ Tract. de Nox. Animal. c. 23. modo infinuatur, L. 19. π. ad L. Aquil. illud aut denuncietur saltim Judici. Conf. Sax. Elect. 27. Part. 2. item Pignus Judiciale, quo res debitoris, qui sententiæ non satisfacit, suo capiuntur ordine. L. 15. §. 2. 3. π. de Re Judic. vel Prætorium, ubi ante judicium lite contestata contractum, vel ob contumaciam, vel negatam cautionem, ex primo vel secundo decreto Prætor immittit v. L. 1. π. Ex quibus caus. in possession quamvis in Saxon. foro & alibi contumax reus in contenta libelli, modo uo, damnetur. v. Coler, Præces. Execut. 1. c. 2. huc & venit Arrestum, quo à Magistratu quis contra personam debitori & res Jus legitimè sibi quarit. Sed hæc non sunt hujus loci. Conf. Constit. El. 17. P. 2.

XXI. Hic de illa pignoratione agitur, qua res vel personam alterius s. non obligati detinemus, ob denegatam nobis Justitiam; dicuntur alias Repressalix, v. Jacob. à Canib. de Repressal. n. 1. quas Gail. à Pignorationibus Imperi distinguit. Tract. de Pignor. obs. 1. n. 4. v. Obs. 3. d. tr. ubi Pignorationis requisita. Illas autem Repressalias, antè prohibitas, L. un. C. ut nullus ex Vicariis. LXI. novo interdicto è Republ. Legislator excudit, ut ne in

nub.

nundinis, Civitatibus, vicis aut agris, quocunque modo fiant vel tempore. Sed tales præsumens damnetur in quadruplum ejus, quod exigit, amisso jure suo; Præfide quoque non impunè connivente *h. c. 1. verb. sed in provinciis, quibus præsumunt pignorationes præsumi patiantur, nihil erit tale, quod à nostris eos eripiat manibus.*

XXII. Justa aliàs belli causa, est injuria non reparata, vel denegata justitia in alia gente, *v. Grot. J. B. 2. c. 20.* ut merito vindicetur armis, quod detrectant judicia inter superioris nescios. *v. Iosu. 20. 21.* ubi triste in Gibeonitis exemplum. *Grot. J. B. 2. c. 1. § 2. q. 2. XXIII. add. Jacob. de Can. d. Tract. n. 8.* non autem semper hic Reipubl. consultum, publicum expedire Martem contra alterum Jus negantem, nisi bonum vertatur publicum; hinc superior concedit illis, qui maxime læsi, jus captandi res aut personas injustæ Reipubl. ut inde procedat damni retributio, si aliam in subjecto debitoris vel possessoris rei litigiosæ præstare recuset. *v. Martin. Laudens. de Repressal. n. 7.*

XXIII. Nec est, quod objiciatur, lædi justitiæ regulas, quibus pœna in supposito delinquentis subsistat. *Jerem. 31. v. 30. L. 22 C. de Pœn.* Nam injure belli, vel actu huic simili, posita illic justa causa, quilibet censetur innocens, ex culpa Jus negantis Reipubl. vel superioris, cui obnoxius; hinc correctoriæ justitiæ status, ut quidem in judiciis, ita præcisè hic non attenditur; accedit & hoc quod, dum res alterius retinentur, comòdum ad rempubl: & hinc ad singulos redundare præsumatur, unde merito supponuntur iterum damno.

XXIV Palàm nunc erit, quò jure se habeant Repressaliæ, quando, inter quos & à quibus permittendæ, non nisi in causa gravi, & ubi aliud deest Juris medium; Quippe belli instar facile in publicas erumpere possunt flammæ, hinc caute superior illis dat locum, contra externos saltim, non regni incolas, ubi necessitas Judicii; Et illas h. l. Justinianus, quatenus inter subditas sibi provincias exercentur, prohibuit. *arg. c. 1. verb. in nostra Reipubl. h. Nov.* Secus contra exterarum gentes. *arg. d. l. Inter has enim Repressaliæ meritò & olim. v. Gail. d. Tract. Obs. 2. n. 5. seq. & hodie obtinent, maximè in locis mari-*

timis, ubi prona inter navigantes lætio, difficilis restitutio ;
 Id patet in Francia, Hispania, Anglia, Batavia & Lusitania;
 nonnunquam & in Germania, v. tamen Recess. Imp. de Anno 1570.
 §. Wenn auch die, ubi ex licentiâ Imperator. contra exteros
 tantum Statibus permittuntur. v. Gylm. Tom. 1, *Vot Camer.* P. 1.
 t. 5. Vol. 2. Q. ult. & Gail. d. Obs. n. 3. 4.

Ratio &
 fundam.

XXV. Legibus & æquitati absona pro alterius debitô mo-
 lestia L. un. C. ut null. ex vican. quippe ratione caret, alium esse
 debitorem, ab altero tamen exigi. b. c. 1. idque in una Republ.
 ubi superior competenti ordine cuivis suû dispensare poterit,
 illo excusso, qui verus debitor.

CAP. II.

*Ut Donationes Imperatori à privato
 homine factæ non egeant insinua-
 tione.*

XXVI. **D**ONATIO L. 1. π. de Donat. ultra quingentos solidos,
 v. Scalig. de re Numar. p. 52. 53 actis insinuanda L.
 36. §. 3. C. d. t. Decis. El. Saxonie. XXVI. casibus exceptis,
 de quibus Interpr. conf. Dr. Struv. S. C. Exerc. XL. t. 10. seq.
 ad quos & donatio Principis alteri facta pertinet. L. ult. C. de
 Quadrien. Prescript. L. 34. C. de Donation. Sed erat quæstio, num
 & illa sine actis valida sit donatio, quam privatus conferret in
 Principem: quasi privatus Principis jure non videatur donare,
 unde necessaria insinuatio. arg. d. l. 34. C. de Donat. Verum
 Justinianus h. l. disponit, ne requiratur insinuatio, modo
 à tabellione annotetur donatio, adhibitis testibus, horumque
 subscriptione, contra L. 31. C. de Donation. Quæ est Zenon. Im-
 per. v. b. c. 2. h. Nov. Nam & in hoc donandi genere Principis
 attenditur persona, quæ nî spontè velit, Legibus non subji-
 citur. L. 31. π. & L. 4. C. de LL. quippe in unum ejus subjectum
 duplex diversusq; Legis respectus necessariò non cadit. Idem
 si Princeps Principi donat; diversum si Princeps alterius Rei-
 publ. subsidio; quippe tum ut privatus, vel non ut superior.
 at.

attenditur: vel pariter si lex fundamentalis Principis donationem ita restringat. *v. Capitul. Carol. V. art. 24.*

XXVII. Non est insinuatio, ubi non Judex, cujus Princeps expers; ut ut illi à privato donetur, augusta tamen ejus fortuna non agnoscit acta, *conf. L. ult. C. de Quadrien. Prescript. ne minoris aliàs videatur juris, quam subditus, cui Principis liberalitas citra insinuationem proficua. v. c. 2. l. Nov.*

Ratio &
funda-
me. t.

NOVELL. CONSTIT, LIII.

De exhibendis & introducendis reis, & ut hi, qui conveniuntur, post vicesimum diem presententur Judicibus: Et de iis, qui juratoriam cautionem exponunt, & ante litis contestationem absentes sunt. Et de hypothecis qua appellantur ex casu: & qua persona & quando hoc jus habent. Et de in dotatis uxoribus, ut habeant quartam partem in substantiâ viri, & si se Vir in substantia uxoris, quando inopse est cui relinquitur.

XXIIX. **D**ata & hæc Nov. Johann P. P. cujus plenior in Inscript. Græc: & Latin. Nov. Vers. Rubricam ponit *Halo-ander p. 64. & 163.* Fortuna & querela horum, qui exhibenti potissimum Justiniano h. Legis ansa fuerunt; *pref. v. N* quam CELSITUDINIS honore per præcepta tradet effectui d. Præf. *Epilog. ubi subscript.*

Præfatio
Epilog.

Ff 3

CAP.

CAP. I.

De reis ab alio loco in alium retrahendis,

CAP. II.

De cautione prestanda ab his, qui de proprio territorio sibi obnoxios abstrahunt.

Jus:

XXIX. **N**onnunquam, ob continentiam causæ, quis coram superiori pulsatur. L. 10. C. de Judic. Gail. I. Obs. 32. nisi Jus de non evocando habeat, quod quidem ad personalia restringunt. vid. tamen Carpzov. 2. Resp. 29. conf. art. IX. J. Pac. Ofn. & Limn. 5. J. P. c. 2. ubi de Bulla Brabantin. Interdum ex nuda Principis jussione, sine alia causa, reus ad alterius forum evocatur, extra provinciam; quod hic vocatur *exhibitionis* s. exhibitio; pr. & c. 1. h. Nov. Stephan. h. l. n. 1. quæ frequenter reis sumptuosò itinere illic profectis, damnosa, emanante a ctore. h. c. & pr. h. Nov. hinc remedium Legislator introducit, ne permittatur exhibitio, nî actor fidejussoriam reo dederit cautionem, in eò, quo litigabit, judicio, sub certa quantitate, si & evocans se ibidem non sistat, excepturus sententiam. c. 1. & 2. h. Nov. Si nunc contingat, actorem statò die abesse, reus, post de em dies frustra illo expectat, adeat judicem, impetrans repente dimissionem & expensas, juramentò & infecuta moderatione judicis taxatas. h. c. 1. & 2. Hodie talis evocatio non ita frequens; sed arbitrio partium nonnunquam superior eligitur Judex, postulatis ab inferiori remissorialibus; qui & aliquando remittit, vel superior avocatur.

XXX. Illa vero satisfactio est instar Cautionis hodie de re conventionem & expensis, de qua vid. Carpzov. Process. Tit. 9. art. 5. Nec in contumacia par observatio: Actore non comparente, ejus à reo accusatur contumacia, cum postulatione expen-

penſarum, quas effugere nequit, licet actionem deſerat, ad quam negatur reditus, ni ſolutis illis caverit, de litis proſecutione: ſine discrimine, ante an poſt litem conteſtatam fuerit abſens; non nunquam tamen poſteriori caſu definitiva ſequitur, reo haecenus ab inſtantia abſoluto. *conf. Carpzov. Proc. Tit. 8. art. 1.* Si reus contumax, accuſante actore, condemnatur ad legitima impedimenta, biß auf behülffige Wiederrede, niſi ſcriptis primò, ſecus in ſecundo, termino, ſe excuſaverit, tunc in expenſas, non impedimenta damnatur. *Ord. Proc. El. Saxon. t. 10.* Si ſic condemnatus, & ſecundo citatus iterat contumaciam, damnatur prævia contumaciæ accuſatione, in executionem, auf die Hülffe. *conf. d. Ord. Proc. tit. 10. §. im fall aber Hartm. Piſtor. 1. Q. 3. Coler. Proc. Exec. 1. c. 2.*

XXXI. Grave reo, aliàs, dum pulſatur, favorabili, *L. Ratio & 115. π. de R. J.* ſumtu difficili & via forum adire diſſitum ibique fundam. cum diſpendio & tædio expectare actorem; Hinc opus erat medio, quo illius coerceretur in comparendo negligentia, reo refundentis expenſis.

CAP. III.

*Ut reo in Jus vocato poſt libelli dationem
viginti dierum induciæ dentur.*

CAP. IV.

De Juratoriis Cautionibus.

XXXII **R**EUS litis fugitivus. *L. 13. §. 3. C. de Jud. h. c. §. 2.* in jure merito deliberandi habet ſpacium, litigare an cedere velit actori: Illud antè decem dierum. *pr. h. c. 3.* nèc adeo tutum, dum executores, ab actoribus inſtructi, reos, nec dato libello, nuda admonitionis occasione, deducebant in judicium, expreſſa ibi litis conteſtatione, ne facultas ſuperſit recuſandi judicem *pr. h. c.* Quod corrigens Juſtinianus, reo viginti dies, poſt oblationem libelli concedens, intra quos recuſare poſſit, excauſa, Judicem, deliberaturus inſuper, litem ſus-
cipe-

Jus.

Cipere an solvere velit, præstitis quoque secundum formam Sportulis, v. Nov. 17. c. 3. libello subscribat, qui dicitur responsionis & diversus à conventionis libello, hodie recepisse v. tamen Gothofr. h. lit. l. & Haloandr. Transl. Lat. Nov. p. 165. notato simul, quo accepit, tempore adversa libelli parte. v. Perez. ad Tit. C. de Edend. ut inde constet, an deliberandi terminus illi plenus fuerit; d. c. 3. quibus non observatis, litis nulla contestatio, h. c. conf. Authent. Offeratur. C. de Litis contest.

XXXIV. Illo viginti dierum spatio Judicem repudiare licet v. th. 32. electo alio; hic si rerum peritus, rursus repudiari nequit pr. c. 4. b. Nov. Lapsio nunc illo tempore, nec comparente reo, actor intret Judicium, id denuncians Judici, qui si ordinarius, ipse; sin Delegatus, hujus Delegans illum curiose inquireat: Quo adhuc, sua contumacia, non alterius impedimento, latente, exploret, quorsum abierit, datis sub comminatione induciis, quod si intra eas sui non fecerit copiam, causa sub una saltem parte ventiletur, cum missione in bona, quæ repleans, nisi solutis expensis, & præstita fidejussione de prosecutione causæ, neutiquam recipiat. d. pr. & S. I. c. 4. b. Nov.

XXXV. Hodie Citationi, causa expressa, vel tenor libelli inferitur, ve ejus vidimata jungitur copia Recess. Imp. de Ao. 1654. §. Diesen nechst. cum consveto spatio, quod de foro Saxon. & alibi sex septimanarum cum triduo; de Cameral. v. d. Recess. J. §. würde hierauf. quod communiter à die infinuationis currit, expresso termino ad quem conf. Gail. 1. obs. 53. Berlich. 1. Conclus. 10. Carpz. Proc. Tit. 7. art. 2. nec opus hodie citati subscriptione; quippe creditur Nuncii jurati relationi actus adscriptæ. vid. Carpz. Proc. Tit. 7. art. 1. Secus si per Notarium & testes facta infinuatio, v. Carpz. d. l. conf. Gail. 1. obs. 54 55. ipse vero citationem procurans, secus h. c. 3. Nov. sportulas solvit, nec citatus cautionem præstat, nisi aliquando in termino, si suspectus de fuga, vel causa sit criminalis ad relaxationem carceris. conf. Zang. de Except. 2. c. 2. Carpz. Prax. Crimin. 3. Q. 112. Quid juris in contumacia, dictum th. 30.

XXXVI. Ne reus præcipitetur in causa, Legale illi datur tempus, quo, subeat litem an transigat, capiet consilia: Illo autem

autem nondum lapsa, nulla contumacia, nec litis contestatio. *c. 3. in fin.* ut ut recusare liceat suspectum; quippe post litem contestatam illud prohibitum *c. 3. pr. h. Nov.* nec licito tempore hic admodum variet reus; quippe cui eò stat in jure favor, ne tamen inde litis dilatione lædatur actor. *c. 4. pr. h. Nov.*

CAP. V.

*De hypothecis militiarum ex casu, quæ
persona, & quando hoc jus ha-
beant,*

CAP. VI.

De muliere inope indotata.

XXXVII. **M**ilitia vel Sagata in jure, *v. tit. π. de re militar. seq. v. Briffon. Sel. Ant. 2. c. 5. 6. 7.* vel Togata dicitur. *conf. L. 3. 4. 7. 9. 14. C. de Advoc. Divers. Judicior. & L. 4. C. de Advocator. Divers. Judic. add. L. 49. §. 1. π. Legat. 2. L. 11. §. 16. π. Leg. 3. t. t. C. de Prox sac. scrin. & c. qui in sac. scriniis militant. & tit. C. qui militare & c. & ut nemo duplici militia vel dignitate simul utatur. L. ult. C. de pignor.* Illa varias, & quidem in Palatio Principis, continebat scholas, ut vocabant, Palatinas, s. militantium ordines; qui & scholæ Palatinæ, *v. Ammian. Marcellin. L. XIV.* Tales erant Protectores seu Domestici, dignioris notæ milites ut plurimum pedestres, qui ad fores palatii excubabant avertendis periculis, majoris stipendii capaces. Aliæ erant milites Principem in comitatu stipantes. Alii erant scutarii, quorum triplex schola: Alii Agentium in rebus, seniorum Armaturarum, Gentilium seniorum, Armaturarum juniorum, & c. quibus jungunt silentarios, qui velut quietis ministri, in anteriore cubiculo Principe dormiente, imperabant silentium. *v. Pancirol. Not. Or. c. 63. ubi ad inermes scholas refert.* Quælibet schola suum habebat Comitem ex ordine Spectabilium. Et ipsi scholares post stipendia statuta, adorantes

G g

Prin-

Principis purpuram Clarissimam Comitivam impetrabant. *v. Panciroli, d. l. & Perez, ad. supr. cit. tit. Cod. de Privilegiis scholarum L. XII.*

XXXVIII. Togatae nec pauciores erant classes; Alii enim Comites Palatini, alii Comitatus, Domestici, Largitionales, Memoriales, qui in scriniis memoriae, vel Epistolarum, Libellorum, aut sacrarum dispositionum ministrabant & alii. *v. t. t. C. de Privilegiis eorum, qui in sacro palatio militant. L. XII. Quaedam vero militiae ex dictis poterant legari, emi vendi & c. quaedam non poterant. v. L. ult. C. de pign. add. d. L. 49. §. 1. π. de Legat. 2 c. 5. h. Nov.* Illae erant militiae adiutorum Quastoris. *v. Nov. 35. & ibi dicitur silentiariorum, L. ult. C. de silentiariorum Domestico, L. 6. C. de Advoc. Divers. Judic. de quibus alias erat dubitatio, an possent oppignorari tacite & expresse. v. c. 5. h. Nov. pr. v. b. fuerunt dubitationes plurimae, utrum oporteat militiae sub hypotheca deduci vinculis.*

XXXIX. Quod Justinus juxta L. 9. π. de Pign. jam ante definiit in L. ult. C. de Pign. ut talis militiae creditori tacite sit obligata, quam debitor sibi vel liberis cognatisve comparavit; praesumitur enim quod pecunia credita empti fuerit. *v. d. L. ult. C. de Pign. ibique Gothofred. lit. c.* Quod procedit de Jure Novell. 97. etiam cum jure praedationis contra alios hypothecarios, si expresse in militiae creditum & modus observatus sit, *de quo v. dicit ad Nov. 97. c. 4. add. Aut. ent. Quod obtinet. C. de Pign. Non obstat L. 5. C. Quae res pign. oblig.*

XL. Nec tantum ipsa militia, sed & casus militiae sic obligatur *d. L. ult. C.* Casus autem militiae seu scholae placitum erat salarium s. annona & comoda, quae mortuo militante ex collegio illo s. schola heredes ejus uxor vel liberi, ex beneficio Principis, non jure hereditatis percipiebant. *v. d. L. ult. C. c. 5. §. 1. h. Nov. verb. ea quae appellantur ex casu & c. habeant non tanquam paternam hereditatem & c. sed tanquam imperialem munificentiam.* Iste vero militiae casus tunc ad Creditorem pertinet, si miles debitor, non relinquat uxorem vel liberos, qui praeferruntur, *c. 5 §. 1. h. l. verb. sed siquidem filii fuerunt aut uxor defuncti, istos omnibus praepouimus modis.*

XLI. Ex

XLI. Exceptionem tamen addunt, si creditor expressè in militiam credidit & pecuniâ ejus militia comparata sit, tunc vel mulieri præfertur & liberis. *v. d. Auth. Quod obtinet. C. de Pignor. § 1. c. 5. h. l. ibique Gothofr. lit. X. Perez. ad d. t. C. n. 5. & dict. ad Nov. 97.* Quod si nec liberi, nec uxor, nec creditor qui specialiter in militia emptionem credidit, adsint, beneficium illud aliis Creditoribus porrigitur *v. d. § 1. c. 5. h. Nov. verb. si vero nullus eis neq; filius, neq; uxor fuerit, neq; creditor, qui ad ipsam militiam &c. tunc & aliis creditoribus præbemus hoc &c. v. dict. N. 97.*

XLII. Maritus & Uxor sibi invicem Jure anteriori non succedunt, nisi deficit omnis parentum liberorumve & propinquorum legitima vel naturalis successio, tum jure Prætorio fiscum excludant, *L. unic. C. unde Vir & uxor.* quamvis ex Duareno referat *Perez. ad t. C. n. 1.* uxorem viro quondam succedere potuisse ex lege Romuli, quæ postmodum jure civili recentiori desit. Quia tamen stante saltim Prætoriâ successione, non rarò contingebat, mulierem indototam in novissima vivere paupertate, dum maritus liberis relictis, qui juxta edictum excludi debant matrem, decederet, hæc verò nec dotem nec hereditatem, nec aliud, quo se sustineret, habebat, *v. c. 6. h. Nov. pr. verb. videmus autem quosdam coherentes mulieribus indotatis &c.*

XLIII. Hinc motus Legislator statuit, ut talis uxor, quæ inops sit, (quod ex arbitrio judicis pendet) maritus decedens vero locuples, habeat ex hujus substantia quartam portionem pleno jure si nulli adsint liberi, præsentis licet sint Collarates vel ascendentes; legatum vero quarta minus vel aliud à marito relictum ipsi in quartam imputatur, ad cujus supplementum agere potest. *v. c. 6. h. Nov. pr. verb. quartam partem ejus substantie &c. si tamen legatum aliquod reliquerit &c. compleri hoc.* Si vero liberi vel ejusdem vel alterius matrimonii legitimi adsint, & quidem numero tres vel pauciores, quartam partem, si plures, virilem accipit, utrinq; tamen ususfructus jure, proprietas servatur liberis sine discrimine matrimonii, an ex hoc vel alio fuerint *v. d. Nov. 53. c. 6. Nov. 117. c. 5. qua ma-*

gis. *distincte* verb. s. ex eâ s. ex alio matrimonio. Dissentit *Perez.* ad t. C. unde vir & uxor n. 2. ad d. *Auth. Præterea. C. d. t.*

XLIV. Hæc ita procedunt, si mulier non habeat dotem, vel habeat quidem sed non sufficientem tunc supplementum quartæ petit; Alias si dos ipsi pingvis sit, vel dives pater, vel alia substantia, nihil accipit; pariter si luxuriose vivit, v. *Exerc. 1. th. 32. & dict. ad Nov. 39.* vel ad secundas intra luctum nuptias transit, vel etiam post luctum locupleti iterum nubat, v. *§. . h. c. 6. Nov. 53. verb. si vero quasdam res proprias mulier in domo viri aut alibi repositas habuit &c. & §. 2. d. c. verb. Nam si aliunde forsan habeat &c. non erit justum gravare filios.* Dissentit *Rittershus.* Part. VII. *Exposit. Nov. c. 17. n. 13.* quartam istam perdit, quæ alias testamento, nec certo casu statuto potest auferri.

XLV. Quæ quarta non in muliere saltem, sed & viro inope locum habet, si mulier locuples moriatur c. 6. *h. N. §. 1.* Dissentit *Rittersh.* putans d. *Auth. Præter.* non pertinere ad maritum, quia *Imperator in d. Nov. nihil de marito constituit & quæ sunt ejus verba.* Sed dubites an *Rittersh.* hoc recte ex dict. *Nov.* colligat; nam d. §. 2. expresse dicit *imperator: Hæc itaq; dicimus, si conjunctim alter dotem aut ante nuptialem donationem non faciens, inops aut vir aut mulier inveniatur & moriens quidem aut vir aut mulier locuples sit, ille vero vel illa superstes existat.* Ex quibus verbis manifeste satis patet. Imperatorem & de viro illud statuisse, quia disjunctim loquitur, illud viro inopi dans, ubi mulier locuples moriatur, quod dederat huic, si ille dives decederet quod clare patet ex d. §. 2. nescio quam bene contrarium affingat *Imperatori Rittershus. d. l.*

XLVI. Hodie conjuges sibi invicem pariter casu extantium liberorum succedunt, utut superstes inops non sit, quod quidem vult, *h. Nov. 52. c. 6* quatenus tamen pacta dotalia, vel statuta loci aut constitutiones vel consuetudines provinciales hic disponunt: alias jus commune servatur. v. *d. N. 53. c. 6. Nov. 117. c. 5 & Auth. Præterea. C. unde vir & uxor.* sic de *Jure Elect. Saxon.* mulier extantibus liberis quartam, non extantibus, tertiam, quam interdum de moribus alicubi licet liberi adsint, accipit, si tamen bona sua confert, quod habet in ar
bi-

bitrio, an portionem, sub collationis onere velit petere, an illata sua repetere, dimissa portione. *Const. El. P. 3. c. 20. & ibi. Dn. Carpzov. def. 15. seqq.* Maritus vero succedit in mobilia uxoris defunctæ præter geradam; vel si immobilia tantum relinquat, accipit quartam partem: aut si saltim mobilia, liberis legitima deducitur. *v. Const. El. 23. P. 2, ibi Dn. Carpzov. def. 30. seq.* Plura capit vidua Nobilis; *Const. Elect. 34. seq. P. 3. Ratio hinc inde in thes.*

NOVELL. CONSTIT. LIV.

Constitutionem, quæ ex adscriptitio & libera natos, liberos esse vult, non iis qui ante constitutionem nati sunt, sed qui post constitutionem, prodessent: Et ut ne venerabiles domus commutationes faciant ad invicem immobilium rerum Ecclesiasticarum, decreto prius interposito, excepta hac majori Ecclesia,

XLVII. **N**OVELLÆ hujus, ut plurimum hæctenus, frontispicium Inscript. *Ornat Magnitudo, v. Pancirol N: 7. c. 5. P. P. Or. sub diversa tamen Rubrica, quam aliter, melius forsan Haloandr. Præfatio. Vers. Latin. Nov. p. 167. legit. conf. Gothofr. h: lit. sp. & q. Callida vel fatua Legis ult. C. de Agricol. & Censit. interpretatio moverat Epilog. Legislatorem huic formam dare constitutioni, præfat. h. Nov. quam EMINENTISSIMO titulo P. P. præceptis solenniter manifestam faciet. Epilog. ubi subscript.*

CAP I.

Ut natus ex adscriptitio & libera sit liber.

Gg 3

Ad-

Jus.

XLIX. Adscriptitii, servorum instar, *præf. h. Nov. agris*, ut pars, addicti, nequidem, arbitrio Domini, separatim vendi poterant. *L. 15. L. 21. C. de Agric. & Censit. LXI.* simul cum prædiis in censum redacti. *L. 4. §. 5. & 8. π. de Censi* sortem adscriptiam transmittabant in sobolem *L. II. C. d. t.* quæ olim talis, modò pater adscriptitius fuerat. *v. præf. h. Nov. Quod tamen à Justiniano L. ult. C. de Agricol. & Censit.* mutatum, ut libera ex matre partus non prodiret adscriptitius, licet pater talis fuerit; secus in casu diverso; *d. L. ult. C. quam legem & ad illos, qui pridem nati fuerant, extentebant, quasi & præteritis consuleret negotiis contra L. 7. C. de Legib. in Dominorum perniciem, quorum inde disceptationes, c. 1. h. N. quibus ut terminum daret & medelam legislator, statuit, ut, qui post illam legem, dicto modo nati fuerint, matris sequantur liberam conditionem, anteriores relinquuntur antiquæ sorti. h. c. i. quamvis in arbitrio Domini sit, ejus modi distrahere matrimonium, jure minus licitum, ne decrescat Adscriptitiorum numerus v. d. l. ult. C. conf. Nov. 22. c. 17. & ibi dict. diversum in Curiali fortuna v. Novell. 38. c. 6. & ibi dict. Hodie adscriptitiis comparant homines proprios, ex quibus suscepti plerumque patris boves sequuntur. conf. Lehm. Chron. 2. c. 20. & Schepl. Consuetud. Brandenburg. 4. Tit. 7. §. 2. ubi & de horum testamentis.*

XLIX. Patefcit insuper *ex h. Nov. c. 1.* jura liberorum, æstimatori nonnunquam ex tempore promulgatæ legis & nativitatibus, *v. gr. si Princeps sanciret, ut natus ex nobili matre & patre plebejo sit nobilis: haud dubie ante talem constitutionem sic suscepti huc non venerint, nisi verba & mens Legislatoris aliud velit arg. L. 7. C. de LL.* ut apud Locros, Lycios, Jlienses & Ponticos quondam receptum: Aliad, ubi juris concessio, non tam ad statum & nativitatem, quam familiæ splendorem respicit; quippe tum sine discrimine, ante legem quamvis nati, privilegio gaudebunt. *arg. L. 5. π. de Senator. v. g. si superior statueret, ex Patriciis alicujus Civitatis susceptos ad hoc vel illud exercitium equestre admittendos. conf. Chron. Spangenb p. 16.*

L. Huc

L. Huc etiam pertinet, si Princeps indulgeret, ut nobiles, qui statutum alias avorum munerum deducere non possent, nihilominus ad Equestria torneamenta aliave certamina sint admittendi, tunc nisi alia sit Legis restrictio, tam illi qui ante, quam post legem nati, vidantur admissi. Ubi tamen disputant praesertim de Imperatore, an ita possit indulgere, ut nobiles Imperii qui quatuor avos non habeant die nicht von Vater und Mutter und derselgen Groß- und Elter Vater / auch Groß und Elter Mutter von alters her ererbtes Helm und Schild aufzulegen hat / admittantur. Nonnulli dubitant, ob legem ab Henr. Aucupe latam, quam hinc inde referunt Nobilitatis scriptores Sed tamē verior est sententia quod possit. Quia illa Lex, siquidem est, positiva est, nec Capitulationibus, non obstat. *art. 40. Capitul. Leopoldin.* in tantum legatur inserta, hinc merito Cæsari, vi Reservati, circa illam permittitur dispensatio: Maximè, quo in illis exercitiis non tam antiqua progenies, quam virtus egregia spectetur: Hæc autem potest esse vel maximè in eo, qui velut recenti adhuc sanguine nobilitatis gloriam tueri satagit, licet fumosas avorum non possit suspendere picturas. Ude Nobilium literis hæc clausula hodiè ut plurimum innectitur: *allermassen und dergestalt / als wenn sie von ihren Ahnen Vater und Mutter Geschlechten beyder seiten der recht Edelgeboren / Lehens- Thurniergenossen und Rittermäßige Leut geböhren wären.*

LI. Princeps libertatis amans *præf. h. Nov.* ex libera matre servilem indignatur partum. *conf. d. præf.* hinc & in Adscriptiis illi i Legislator voluit, non tamen in illis, qui cunabula legi præverterint. *h. c. i.* ne diminuto hoc hominum genere, neglecta terræ cultura caritatem annonæ proferat in damnum Reipubl. *arg. d. c. conf. L. ult. d. t. C.*

Ratio & fundam.

CAP.


*Ut venerabilium Locorum Oeconomorum res
Ecclesiarum permutare invicem possint;
excepta Ecclesia Constanti-
nopolitana.*

LI. *IP*osita de rebus Ecclesiarum non alienandis Lex. *Novell. VII.*
non una hactenus vice limitata, *conf. c. 2. 3. d. Nov. v. Nov.*
40. & 46. & h. c. 2. novam restrictionem admittens. Principi
rem immobilem cum Ecclesiastica permutare licitum, *d. c. 2.*
Nov. 7. conf. c. 1. xtr. de Res. permut. quod h. l. cuius, excepta
majori Byzantii, *v. §. 1. h. c. & Ex. II. th. 9.* Ecclesiarum alique ve-
nerabili loco conceditur, ut invicem immobilia commutare
possint, citra specialem Principis iussionem, vel sanctionem,
pragmaticam, *c. 2. h. pr.* interposito tamen per Praesidem loci,
apud metropolitanam decreto, subjuramenti religione, quod
utriusque profit contractus, qui erit nullus, si quid in eo praeter-
missum, vel maligne factum; imminente illi imprecatione,
qui lucrum hic captaverit. *h. c. 2.* Quid hodie obtineat, in per-
mutandis Ecclesiarum rebus, dignoscere licet ex *dict. ad Nov. VII.*
conf. Friederic. de Petruc. Consil. 156. ubi de Canonizat. permuta-
tione.

Ratio &
undam.

LIII, Non impedienda Ecclesiarum utilitas, quam licitò
sibi quaerit titulò; quò & permutationis recurrit actus: Si
etenim Principi quid ab Ecclesia permutare justum, pariter
& æquum fuerit, Ecclesiam cum altera, vel simili loco talem
celebrare contractum, ut tamen utrique suum redeat
commodum, vel saltem non dispendium *h. c. 2.*
conf: d. Novell. VII.





ULB Halle
007 370 547

3



VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

J.C. XIII. 12

B.

44. 21

TIO X. 1675, 19

AS JU- NEAS,

torum Or-

Schar Schmid/

lationi

C. Brückner /

LX XV.

nis.

*H. Mr. Roon fah
in Goga.*

